...annes.

...iensis

Mazurkowicz Valent. Joan. Fascia praecellentis meritorum decore splendidissima.

FASCIA

PRÆCELLENTI MERITORVM
DECORE
SPLENDIDISSIMA,
ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO,
DOMINO AC PRINCIPI,

IOANNI MAŁACHOWSKI,

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DVCI SEVERIÆ,
Almæ Vniuersitatis, Generalis Studij,
Academiæ Cracouiensis
CANCELLARIO AMPLISSIMO,
Feliciter
Regni Metropolim, Cathedramq; suam
ingredienti,
A
M. VALENTINO IOANNE MAZVRKOWICZ,
Eloquentiæ Professore Tyliciano, Canonico
S. Annæ,
Promptißimo Obsequio

EXHIBITA.

Anno, vagientis inter Fascias VERBI, 1681.
Mense Septembri.

CRACOVIÆ, *Typis Vniuersitatis.*

In Fasciam
ILLVSTRISSIMI DOMINI, ET PRINCIPIS.



Gracia vulneribus languebat scissa cruentis,
Plurimus inq; suo corpore morbus erat.
Nemo fuit, qui ferret opem, succurreret ægra,
Porrigeret medicâ, pharmaca certa, manu.
Viderat hoc celso, miseratum Numen Olympo:
Fascia, sit dixit: certa medela Tibi.
Fascia sublimi, si cœli mitteris arce,
Corripient celerem, tristia cuncta fugam.

Casimirus Olszowski,
Primæ Laureæ Candidatus.

ORATIO.

Nouus iste splendor felicissimi aduentûs Tui, & ingressus in hanc Regni Metropolim, Sedemq; Tuam augustissimam; sicut omnium animos in lætitiæ incredibilem attollit magnitudinem; quibuscunq; venerabile os Tuum spectandum, & dignissimam plenamq; maiestate præsentiam, conspiciendam impertiris: ita animos cunctorum, cohibet & coërcet; ne laudes Tuas culpâ ingenij deterere audeant præsumantque, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRÆSVL. Quid enim aut in Tuis Virtutibus non excellens & eximium? aut in cuiusquam præconijs tam sublime & elaboratum, quod par & æquale referri rependiq; possit? Ab illo tempore, quo Rempublicam capessiuisti, & ex priuatis laribus in lucem es progressus, nullus Tibi dies sine maximis decoribus fluxit: nullus sine sedulis & solicitis de eius incolumitate curis, est elapsus. Sed maximi syderis instar communi bono, salutares prudentissimi consilij, inuictæ laboribus tolerantiæ, radios diffundebas, pulcherrimo Virtutum omnium agmine circumcinctus, & inter sæuientium malorum tempestates consistens inconcussus. Quis enim ignorat, quæ, quàmue difficillima illa Reipublicæ tempora fuerint? cùm grauissimis externis, domesticisq; bellis premebamur; cùm sæuire fortuna, & cuncta miscere cœpit: concurrentibus vndique furiali mente, externis hostibus, ciuibusque, ad patriam oppugnandam: orbatâ breui tempore, sapientissimis gubernatoribus Republicâ: immanissimâ belluâ tot Prouinciarum Nostrarum vastitate, exultante & cruentâ: perfidiæ tabe in visceribus Patriæ serpente, & in ipsa imperij vitalia grassante, intestinaque rabie, externis furoribus sese admiscente. Quo tempore, quis furenti fortunæ, animum non submisisset? quis oculos à custodia Patriæ non deflexisset? quis terroribus circumuentam Rempublicam & obsessam non destituisset? At Tu fortunæ obluctatus, iuisti inter ipsa pericula, eoq; tempore Principibus vtilissimam operam, fidissimum obsequium approbasti: cùm alios tanti terrores, metusq; decumani, de constantiæ fastigio deiecerunt. De his ergo me aliquid dicturum, alijsq; egregijs, eximijs Virtutibus Tuis, quantæ circumstant difficultates, quanta tenuita-

tis suæ conscium calamum vrget magnitudo. Eadem enim Virtus, dum vult dignè differi, quam necessitate exigit artem, euertit amplitudine: neque patitur secum, nisi ad damnationem illius efflorescere. Ita fit vt miserrima euadat laudantium conditio, qui tunc maximè dedecori suo laborant, cùm se in ornamenta consumpserunt. Quippe toto illo conatu, quo magna dicere præsumunt, infra sua vota iacent, & solâ se facundiæ ruinâ, postquam magnificis verbis omnia exstruxerunt, solantur. Sed enim me has inter cogitationes, velut inter binos scopulos deprehensum, & per diuersos anxiæ mentis æstus lassatum, erigit inprimis incredibilis humanitas Tua, quod cùm laudibus omnibus dignissimus sis, patiaris Te etiam à mediocribus prædicari. Vesana illa fuit Pellæi iuuenis edictio; ne quis eum præter Apellem pingeret; aut ære duceret præter Lysippum. Ingens etiam Augusti fastus, componi aliquid de se nisi seriò, & à summis ingenijs vetantis, nomenque suum commissionibus obsolefieri indignantis. Obliuioni obnoxia certè Virtus est, si silentio premitur: sanè si defuissent decora ingenia memorandis magnis Viris, nunquam à posteris noscerentur. Tu sicut Virtutem, ita Laudem communem putas, tanquam amplissimum ea Virtutis præmium sit, & tributum meritò magnis Viris persoluendum. Erigit etiam rei ipsius pulchritudo & honestas, quæ ipsam cogitationem nouâ perfundit voluptate. Versandum enim mihi erit, in contemplando Virtutum Tuarum splendidissimo concursu; tanquam in aliquo amœnissimo Viridario, gratissimâ florum varietate, fructuumq; lætissimâ vbertate, redundante. Ita vt in hoc mihi potiùs elaborandum videam, vt præcipua tantùm capita summis digitis carpam, quàm vt plenis manibus, omnia quæ dici possunt, congeram & depromam. Neque verò à Fascia Tua censebo mihi recedendum, quæ cùm triplici niteat claritate, Nobilissimi & Antiquissimi generis Tui splendore, cœlestium Virtutum pulchritudine, multiplicium honorum præcellenti eminentiâ, lucem, ita vouemus, splendidissimam Poloniæ feret indigenti. Non improbabis, opinor, tenuis Oratoris conatum, cui qnantùmuis facultas non adsit; certè prōptissima suppetit voluntas Tibi placendi.

Nobilitatem non exiguo in loco ponendam esse, quoties magna Virtus laudanda venit, consentiens euincit Orbis. Quàmuis enim sortiamur genus, non eligamus; nec ante nos nostri arbitrij fuerimus: quàmuis in multis Maiorum citiùs defluant ceræ; quàm in

apri-

apricum & lucem gradum proferant: quàmuis inueniantur, ad quos sola trophæorum, non Virtutis Maiorum transiisse videatur hereditas: quàmuis (Stoicâ Crisi) vnus omnium parens mundus sit, ad quem siue per obscuros, siue per splendidos gradus, prima cuiusq; origo perducitur: tamen non minùs audacter videtur asserendum, ad humanam omninò pertinere laudem, vti parentum decus in prole exsplendescat. Stemmata Nobilitatis insignia, imagines esse, in quibus posterorum lucet indoles, non frustrà quispiam appellauit. Nam vt imagines referunt eorum lineamenta & vultus, quos varijs coloribus adumbratos repræsentant: ita Maiorum suorum heroica gesta nulli magis exprimunt; quàm qui in Maioribus suis ideam Virtutis, & exemplum habent constitutum. Præclarissimum hoc Nobilitatis coronamentum est, quod qui generosâ stirpe orti sunt, in famam potiùs, quàm in amplissimas opes laborent; neque vitam, cuius apud ignobiles tantus est amor, præferant honestati, vt penè ex illa animorum sublimitate de ignoti Viri natalibus, verissimum iudicium ferri possit. Non inconsultò igitur apud Te dicere incipiens, à clarissimo & antiquissimo Nobilissimi generis Tui splendore, sermonem meum duco: à quo Tu rerum maximarum cognitionis, beneficentiæ, fortitudinis, liberalitatis, spectatæ in multis & maximis rebus integritatis, inflammatæ in bonum publicum pietatis, & aliarum maximarum Virtutum igniculos, cum ipso adhuc ortu Tuo traxisti. Cuius antiquitatem ortumq; quod attinet, superat id omnem Historicorum Fastorumq; memoriam, vt pleriq; Historicorum maluerint ingenuè nescire, quàm diuinare. Fascia enim ista Tua, quam inter natiua præfers decora, ab alijs ad Miecislaum Principem Poloniæ deriuatur, qui cùm Dersicraius, vir amplissimus, sacris tum aquis ablueretur, eam tanquam diadema quoddam splendidissimum, è sacro fonte exeunti, gratulabundus imposuit. Alij porrò eam magnæ in Patriam Principemq; fidei, adeòq; bellicæ virtutis volunt esse monumentum, quod Viris strenuis, qui Haliciensi prælio fortem Reipublicæ nauârunt operam, gloriosus ille Regum Imperatorumq; Victor Boleslaus Criuoustus, benignissimè impertiuerat; dum illustria illa capita, pijs hiantia vulneribus, proprijs ipse manibus, non tam obligaret, quàm coronaret. Sed siue è cruento, siue è salutari illo fonte, Armorum Tuorum gloria profluxit; vna profectò eius genitrix Virtus est, nec nisi à nostra infirmitate, quia simul totam capere non possumus, varijs

nominibus eſt diſtincta. Effulſit ea poſtea & enituit, tanta in poſteris, vt in Nałęcyana Familia firmâ ſe perpetuâq; poſſeſſione fixiſſe, & in futurum collocaſſe, & cum poſteritate ac ſucceſſione totâ coniunxiſſe videretur. Quis obſecro tam potens fandi eſſet? cuius copia tam felix? tam beatiſſimâ redundans vbertate? quæ cùm virtutes Veſtras attrectauerit, non aut circumuenta numero, deſperato exitu, ſtupeat; aut obteratur magnitudine; aut ſplendore obſolefacta, tantùm nitoris habeat; quantùm ex rerum luce collegerit, quorum tanta in bello, tanta in pace decora ſunt, quanta vix in vlla vnquam Familia extiterunt. Pugnent ſanè aliorum pro Republica enſes, reprimant hoſtem haſtæ, excubent pro Patria leones, tueantur iuſtitiam ſecures, calcent proteruiam rebellium ſoleæ, protegantur ciues manibus: quidquid armorum in Equeſtri ordine, velut in celeberrimo emporio continetur, pro communi ſalute excubias vigiles agat: at armare & ornare Patriam vna ferè Faſcia Veſtra poteſt. Hinc prodière illi in prælijs primam diſcriminis aleam depoſcere ſoliti, Moſchouiticis, Turcicis, glorioſi trophæis, Samotulij. Hinc ortum habuêre, inter implicata aut fluitantia ſigna, inter confertos denſoſq; cuneos, deuotis corporibus, prouolantes Oſtrorogij. Hinc ſe protulêre diuinis naturæ & artis decoribus, ornatiſſimi Zbąſcij. Hinc ſe fertili & felici profudêre partu, æquè togâ ac ſago præſtantiſſimi Goſtomſcij. Hinc enituêre in publicis dandis reſponſis, prudentes & dexterrimi Nouoduorſcij. Hinc ſe in aſpectum dedêre, Præſuleâ dibaphâ radiantes Gembicij. Hinc emersêre ob ſummam dexteritatem, in Eccleſia & Republicâ adminiſtrandâ ſpectatiſſimi, Paſtoralibus infulis fulgentes Tuliboufcij. Hinc prouenêre ſæpiùs per hoſtiles acies circumferentes metum, cladem, terrorem Gosłaufcij. Hinc ſe exhibuêre, in omnem partem prouidentes, & acutùm cernentes Złotopolſcij. Hinc iuêre magnis paſſibus, Marti iuxta & Palladi expediti Małachouſcij Tui. Denique tanquam de liquido puroq; aëre, hinc deſcendêre, omnibus negotijs aut pares aut ſuperiores innumeri alij Viri, quorum & merita ſuprà famam, & Virtus ſuprà gloriam eſt. Dixerim Nałęcianam Familiam inſtructiſſimum armamentarium, ex quo omne telorum genus debellandis hoſtilibus monſtris, ac producendis boni publici defenſoribus ardentiſſimis depromitur. Dixerim fatalem Equum, præſtantiſſimis Viris ſemper fœtum, mortalium ſaluti diuinâ dexterâ fabricatum. Dixerim nobilem officinam, quæ dedit luci publicæ

æquabili

æquabili meritorum laudumq; consensu, ac firmitudine incedentes, ad summum gloriæ fastigium, magnos Heroäs. Dixerim ditissimum ærarium, quod suppeditauit bellis inuictos Camillos vel Marcellos. Suggessit publicis Comitiorum theatris, facundos eloquio Pericles, vel Demosthenes. Dedit legationibus dexterrimè obeundis, solerti omnia acumine penetrantes Popilios. Subministrauit Senatorum consessui, prudentes & in consilio circumspectos Ianos. Admouit lateribus Regum sapientissimos Vlysses. Præbuit Ecclesijs Asceterijsq; sanctissimos Bernardos. Prospexit Episcopatibus, contra insultus Hæreticorum infractos, & verè fulmineos Athanasios. Præstitit Tribunalibus, & subsellijs iuris & æqui, summos arbitros & dispensatores Aristides, vel Sulpitios. Ad extremum supremis Reipublicæ, & Sacrorum culminibus, præfecit liberrimos Ambrosios, vel Basilios. Martia enim gens Vestra, cùm multùm ex authoribus retinuisset suis, & maiores spiritus in origine sua hausisset, quam vt vel quiescere, vel latere posset; non mirum, si per ea erupit, & velut emicuit eius indoles, per quæ nonnisi magna semper erumpere Virtus, nonnisi maxima semper emicare gloria solet. Deinde cùm multùm humanitati, & mitiori vitæ parti, mores genusq; Vestrum se tradidisset; solidam prudentiam bonarum literarum studijs & adminiculis stabilitam, in publica commoda successu semper desiderato proferebat. Et quàmuis velut fons irriguus in multos alueos, vitreis laticibus perlucidos, est propagata: quamuis velut procera arbor in latè patentes se explicuit ramos, sui tamen capitis naturam constantissimè retinuit, & ad hæc tempora, raro diuini Numinis fauore, retinet & conseruat. An paruum hoc diuinæ in Vos benignitatis argumentum est, quod cùm aliarum Illustrium Familiarum nobiles ceræ, vel repentino flexu euersæ in exitum, vrgentibus fatis defluxerint; vel solitudine, posteritatis inopiâ, penitùs exaruerint: Fascia Vestra septuaginta propè modum non capita, sed vt nobilissimas, ita numerosissimas tribus felicissimè coronet; vt cùm aliorum Stemmatum sit Viros clarissimos numerare, Fascia possit gentes recensere: minimèq; verendum videatur, ne vnquam deficiant, quos tam fœcundum Illustrium Virorum cinxerit diadema. Sex & trecentos olim Fabios, & ciues, & egregios bello milites, cum maximâ suâ lætitiâ, vetus numerauit Roma, omnes Patricios, omnes vnius generis, quorum neminem Ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus Senatus: quia tamen quod audacter sibi contra

Veientes priuato ſumptu, & armis, abſoluendum bellum depopoſcerant, animoſiùs geſsêre, quàm cautiùs: cæſi ad vnum omnes, triſtiſſimam ſui memoriam, tot funeribus orbæ patriæ reliquerunt. Quantò meliùs Maiores Tui, qui cùm fortiſſimis operibus, periculis ſæpè ingentibus circumuentam expediuiſſent Rempublicam, neque vnquam furenti ſubmiſiſſent animos ſorti: eâ tamen cuncta prudentiâ, vigilantiâ, induſtriâ adminiſtrabant, vt non poſſent ſe illis imputare ſucceſſus; neq; vnquam vel ſe, vel patriam in caſum dederint coniecerintq;.

Vide Illvstrissime Domine, quæ Te lux circumſtet, quantis circumfluas decoribus, per quantas domeſticarum laudum vias, per quàm laureatos poſtes, & ingentium animarum ſimulacris obſepta atria, ad ſummum iſtud decus proceſſeris. Cæterùm Tu quæ Tua, ſiue modeſtia, ſiue prudentia eſt, non his ſolis ornamentis es innixus; ſed Te progeniem magnorum Virorum, non adulationibus fabuloſis; ſed æquatis Virtutibus, & felici Maiorum Tuorum imitatione ſemper ſtudebas comprobare. Vidimus permultos huiuſcemodi, qui meminerunt præclari ſanguinis, & turpiter defecerunt: qui quam acceperunt beneficio fortunæ claritudinem, inertiâ ſuâ obſcurarunt: qui præclariſſimum à Maioribus acceptum gloriæ patrimonium, prodigi nimis abliguriuerunt: qui ignauis animalibus nō abſimiles, quibus ſi cibum ſuggeras, iacent torpentq;; præterita, futura, inſtantia, pari obliuione dimiſerunt. Nulla cultior eruditio ad domandam feritatem, & inſcitiam adhibita. Nihil probati ſeminis iniectum cum literis, vt bonæ frugis ſpem natura faceret. Vidimus iuuentutem auream, & potiſſimā vitæ partem, in domeſticæ vitæ latebris exactam, & quaſi tumulatam. Vidimus per remiſſiones vniuerſam ætatem ductam; & quaſi nihil calamitoſius eſſet, quàm aſſiduò libris impalleſcere, lucernarum fuliginem bibere, ſomno languidos & otio, antequam è vita exiјſſent, miſerrimè contabuiſſe. Intereà magno, & fertili prouentu creuère vitia; & veluti in ſolo non ſubacto, optima quæq; ſiue naturæ, ſiue fortunæ ſemina: quia neglecta, peſſimâ cōſuetudine, in fœdiſſimos degenerârunt abortus. Neq; enim tam præcipiti curſu deſeruntur Virtutes, quàm velox ad extremam morum corruptelam fit tranſcurſus, qui poſtea nullâ diligentiâ, nullis laboribus poteſt inhiberi. Tibi Illvstrissime Domine, Nobilitas lux fuit in adamantem incidens, maiorem reflectens claritatem, quàm recepit. Fuit trophæum Miltiadis, alterum

terum Te Themiſtoclem, ingentibus ſtimulis agitans, vt contra difficultates omnes, in ſumma Virtutis culmina eluctareris. Fuit maximum incitamentum, vt in patrium cœlum ſidera reduceres, quibus præterita tempora colluxerunt. Itaq; nihil prius, nihil potius habuiſti; quàm vt facilem adhuc & tractabilem animum ad meliora conuerteres, & inimicas vitijs artes ediſceres. Incredibile dictu eſt, quantus Te ab initio ſtatim, earum ardor cepit. Nullâ diſcendi Magiſtros adoleſcens difficultate percipiendi affligebas. Nihil offerebant Sapientiæ Doctores, quod celeritate non reciperes, aut ſagacitate non præuenires. Siue artem eloquentiæ præcepiſſent, ſtatim in cultu, leni tractu fluentem orationem, & Comico ſale, ac lepore eruditionis conſperſam exhibebas. Siue veteres Annales, interpretatione commendaſſent: ita animi Tui ſenſum, in eorum memoriam componebas, vt quantum ad cognitionem rerum pertinet, etiam præteritis ſæculis vixiſſe videreris. Siue ciuilem ſapientiam ad modum vitæ inſtituendæ propoſuiſſent, ſatis percipiebas feliciter, optimè gnarus, ſi quis ad officium boni ciuis explendum, doctrinarum præſidium non attulerit, totam eius ætatem ab imperitia occupandam. Eò conatus tendebat omnis, eò cogitationes curæq; referebantur, vt per ſpatia illa Muſarum, mille laboribus congeſtas diuitias, aliquando in publici boni theſaurum inferre poſſes. Noctes quin etiam conſecratæ lectionibus ſerijs, & ſomnus cum valetudine computatus, corpuſq; puluinaribus dereptum, affixi pluteo cadentes oculi, & in opere tamen detenti, quaſi Tibi nihil dulcius eſſet, quàm cum eruditis mortuis verſari.

Hâc ratione adoleſcentiâ in magnis literarum meditamentis conſumptâ, & ab ijs ad ſtruendam fortunam ope conquiſitâ, ſubactum illis politumq; animum, rebus agendis commodaſti; & vim ingenij præclaram, quâ tum pollebas plurimùm, ad maiora Regni negotia contuliſti. Quid hîc dicam:

A puero tenerisq; etiam fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos.

Vt Phidiæ ſimulachrum ſemel inſpectus ſtatim probatus es. Non per latentes moras expectandum fuit, ut aliquando magnis in Republica Viris ſedulitatem Tuam commendares. Quæ ſunt alijs faſtigia, Tibi fuêre rudimenta; magnarumq; rerum, illicò capacem Te oſtendiſti; quia feſtinatâ, viuidâ dexteritate, etiam minores tranſigebas. Non promittebas Te futurum Magnum, ſed efformabas;

mabas; neque in Te erupturæ Virtutis tumens germen, & flos præ-
curſor bonæ indolis, lætior quàm vberior apparebat: ſed iam fa-
cta grandifera, maximorum fructuum, matura perceptio. Quam
in Te, eo etiam copioſiori amoris argumento, boni cuncti ſuſpe-
xerant; quia ad illius inacceſſæ lucis radios, cuius Sol & Luna tenues
ſunt vmbræ, fauſtis ominibus oculos attollebas. Vt enim limpidiſ-
ſima aqua, cùm in eam incurrerit, & quaſi ſe immiſcuerit cœleſte
lumen, magis etiam illimis & perſpicua conſpicitur: ita eximiæ na-
turæ dotes ſplendidiores nitidioresq; apparent, cùm primæ illi luci
per cuncta diffuſæ, pulcherrimo nexu coniunguntur. Hærebat hoc
in Sapientia Tua ILLVSTRISSIME PRÆSVL, ideòq; quàm citò
ad Rempublicam acceſſiſti, in ampliſſimum Sacerdotum Ordinem
coöptari voluiſti. Pulchrum, enimuerò, ita curare publica, vt Di-
uina ſemper antecedant. Sicut enim acus nautica, ſympatiâ quâ-
dam, perpetuò conuertitur, & in motu eſt, donec ſe firmet ad lucem
ſtellæ polaris, circa quam rapidiſſimâ vertigine, cœleſtes voluuntur
orbes: ita certè Viris Magnis quieſcere non licet, donec maiori
ſtudio, & ſinceriori pietatis cultu, venerentur, increatam illam
lucem, in qua eſt vera requies, & cuius auſpicijs, perpetuâ quâdam
agitatione, rerum viget vniuerſitas. Rapiebaris Tu ad hoc lumen;
exſurgebas ad illius Supremi Numinis venerationem, ex quo oriun-
tur omnia, & in quod redeunt omnia, lege certâ, diuerſis licet iti-
neribus. Sunt in ore, ſunt in ſermone omnium, expreſſa Tuæ pie-
tatis indicia; ſunt manifeſta teſtimonia, cùm Te quaſi à mortali
contagione ſecretum, purum, penitùsq; ſincerum, vbiq; præſtabas;
cùm Te ſingulis propè diebus, pijs aris ſupplicantem admouebas
Sacerdotem: quæ nunc conſuetudo, conſtanti Tibi in religionem
cultu verſa. Ijs religionis ac diuini cultûs, amoriſq; euidentibus ſi-
gnis, totius Regni imitationem excitaſti, & expleuiſti admirationem,
vt cùm cæteras Virtutes Tuas omnes amarent, & prædicarent:
hanc vnam ſuſpicerent & venerarentur. Neq; multùm poſtea flu-
xit temporis, cùm eam in Te Virtutem, diuina benignitas, nouis
præmiorum acceſſionibus eſt proſecuta. Antiquiſſimus olim Philo-
ſophorum Hermes, menſuram hominis appellauit pietatem. Quia,
vt ipſe dixit, id eſt homo cui adhæret. Pietate autem diuinitati ad-
hæremus, & ligamur. Rectiſſimè ergo dignitatem humanam, pietas
metitur. Quam verè, quàm conuenienter hoc de Tua pietate di-
cere poſſumus; quem breui ſpectauit Cracouienſis Diœceſis am-

plissimo Canonicorum Cracouiensium Collegio, tanquam pretiosissimam gemmam, aureo annulo insertum, illatumq;. Audire erat iam tunc, properantia bonorum omnium studia, in destinandis Tibi, in eadem Diœcesi supremis honoribus, gradumq; tantùm eam dignitatem fore, ad supremum culmen obtinendum. Quæ Tu expleuisti cumulatissimè, quotidie contendens Tecum ipso: totus animum in omnes curas diuidens, vt Respublica nutans, Tuis laboribus, consilijsq; (quantum vnius hominis operâ effici potest) fulciretur. Erat tunc Respublica Nostra, triste rerum humanarum spectaculum, & vel ipsis hostibus miserabile ac lugendum. Erat ad instar alicuius Penthei vel Deiphobi, quem --- *Lacerum crudeliter ora*

Ora manusq; ambas, populatamq; tempora raptis

Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares ---

ostentantem, Princeps describit Poëtarum. Cuncta in ea ob tot annorum non feralia bella, sed horribiles lanienas, rapinis vasta, incendijs torrida, ruinis consepulta. Prorutæ domus, euersæ fortunæ, profuga Nobilitas, omnis humanæ opis indiga. Raptati liberi, nurus nefanda passæ, matronæ superbissimorum hostium pedibus aduolutæ. Decolores sanguine fluuij, cæsi vel disiecti exercitus, tonitrua tormentorum è proximo aures impellentia. Incensæ aræ, fumantes oppidorum reliquiæ, deserta vsque ad mare patentia, Superis, populisq; deletis. Omnia primò domestici, posteà peregrini latronis spolium, ac præda. Exigua tamen pars malorum visa, præut, quo pacto ipsi ciues in hanc Altricem suam sæuierunt. Vna natio, longo tumultu, in seipsam, in partes atq; factiones diuisa: partesq; in bella togatæ; publici boni obtentu, (quod seditionum omnium fatale velamen est) ex Regiæ potestatis iniuriâ incrementa captans: à furentibus toties rupta & discissa Comitia. Armata in ciues militia. Nullis profusis largitionibus exsaturata cupiditas. Hostes in ipsa viscera, ac vitalia Patriæ introducti. Excussum vbique obsequium. Vbiq; turbamenta Reipublicæ, atq; exitia. Deserta & pulsa Maiestas, & cupidine libertatis inductum, teterrimum seruitium. Ventum fuisset ad extrema: si non in Serenissimum, & verè inuictum CASIMIRVM, dira tempestas Reipublicæ Nostræ, supremum ferens exitium incidisset. Qui tot fortunæ sæuientis iniurijs, nequaquam fractus, ac domitus, periculis alacrior, primus Regale caput in discrimina ferens, primus maioris semper discriminis aleam deposcens; magnæq; animæ, propè ad reprehensionem prodigus, quàmuis prælijs

lijs ambiguus, bello tamen inuictus, iniecit Superis (ſi ita fas loqui) verecundiam, tantam fortitudinem, tàm generoſum pectus, in ſupremo virium conatu deſtituendi. De bellica eius Virtute loquor, quam etiam domi inter ciues, publicis malis, ad occaſionem priuati, vel odij, vel commodi abutentes, ſatis abundè prompſit, & approbauit. Cùm enim (vt alia eius in hanc Rempub: maiore obſeruantiæ argumento dicenda ſileam merita) pro ſua incredibili quâ pollebat ſapientiâ, tot ſibi intelligeret non defuturas manus, quot bonos miniſtros; vt benè ac feliciter regeret omnia: tot aures & oculos; quot domeſticos & familiares; vt ſciret omnia: tot vigilantiſſimos cuſtodes Regalis capitis, Regniq; ſui; quot fidos, nec obſcura prudentis animi, ad magna quæq; nati, & inſtituti ſpecimina oſtendentes Conſiliarios; vt amaretur ab omnibus: in Te ornando ad maioraq; producendo, ita ſuum inflexit iudicium, vt ſingularem Tuam admiratus prudentiam, robur animi, conſtantiam, poſuerit Te in loco ſublimiori, ex quo pluribus bonitas, magnitudoq; animi Tui eluceret. Fecit Te, inclinatiſſimâ voluntate ſuum Referendarium, vt cùm ipſe iuris & æqui, ſummus arbiter, Themidis tripodes quateret, & populorum fata partiretur: Tu ea, non vt olim Apollinis Delphici Pythia, implexis ambagibus eluderes, atq; torqueres; ſed apertis reſponſis luſtrares, omniaq; caligine ſolutâ, in clara luce collocares. Quæ ingenij vis? quæ tanta facultas? hæc mente aſſequi, ne dum Oratione complecti valeat? quæ Tu in laborioſo iſto munere, cum omnium conſenſu, & approbatione præſtitiſti. Ad Te veniebat oppreſſio miſerorum: Tu lamenta viduarum excipiebas: Tu calamitoſorum manantes detergebas lacrymas: Te patronum oppreſſa innocentia ſibi adſciſcebat: Te iuſtitia defenſorem ſuum contra improbitatis potentiam depoſcebat: neq; quidquam Tibi fuit iucundius, quàm humaniſſimi vultûs inclinatione, ad omnium Te miſerias, preceſq; demittere, quaſi omnes ad aliquid requirendum à Te inuitares. Tam præſtans Virtutum Tuarum ſplendor, cùm in omnium oculis effulſiſſet, omnium in Te ſtudia, expectationem, & fauorem excitauit. Et iure quidem merito. Nihil enim tàm dulciter animis humanis illabitur, nihil tam cupientibus videtur oculis, nihil tam opimâ ſpe bonos recreat; quàm quoties nullum laborem, nullamq; ſollicitudinem, pro curâ ſalutis alienæ conſeruandâ, defugiunt Magiſtratus. Iudicum certè rari ſunt, quibus non placeat pro ſeueritate, acerbitas; pro rigore, truculentia;

pro

pro iusto metu, vehemens nec opinatus terror; pro descriptis sancitisq; legibus, sua cuiq; propria voluntas. Difficillimum est ita Iudices agere, vt semper in officio suo id præstent, quod examen in trutina. vt illis semper constet æquitas, cuius bilances in æquilibrio consistunt, qui non maiorem reis incutiant metum; quàm spem: qui non potiùs eos callidis deprimant artibus, quàm erigant subleuentq;. Sicut non vbi auditur, tonitrui periculum fit; sed longiùs: quia obliquo motu, præcipitat excussum fulmen: & in distantia sæuit: ita qui ex officio, tonanti legi viciniores sunt, maiori securitate indulgent sibi; & aut periculosè alios damnant, aut turpiter absoluunt; quàm ij, qui procul à Iudicum subsellijs, præsumunt ius irritare. Tu semper habebas in consilio legem, æquitatem, fidem; odium, inuidiam, metum, cupiditates omnes amouebas: magni æstimabas conscientiam, quæ à nobis diuelli non potest, quæ cùm est optimorum consiliorum, atq; factorum testis, in omni vitâ, sine vllo metu, & cum omni honestate, cœtûs humani frequentantur. Hac moderatione efficiebas, vt cùm aliquando restrictus, & perseuerus esse cogereris, (acerbitas enim puniti maleficij, benè cautèq; viuendi disciplina est) nullius tamen prouocaueris questus, nullius complorationem eliceris, nullius mentem per intestini doloris fluctus fatigaueris; sed etiam tùm cùm timebaris, studia cunctorum in Te vertebas, & beneuolentiam prouocabas.

Iam quid ego memorem, in quàm amplum gloriæ campum, Tuas dotes protuleris, Legatus sæpiùs SS. Maiestatum, ad consessus Palatinatuum, & earum Tecum dignitatem, per publica illa theatra frequentiùs circumferens. Diuino præditus ingenio, sit oportet, cui tanta negotia curæ: quiq; in illo æstu Comitiorum, in quo frequentissima sicut fluctuum, sic voluntatum solet esse permutatio, cor, mentem Principis, ciuiumq; suorum teneat: in tantâ præsertim gentis nostræ libertate, cuius vitia nonnullos acriùs impellunt, quàm cura; qui cùm priuatim degeneres sint, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habent; & vbi semel turbare, & impellere Rempublicam cæperunt, quidquid vspiam malorum est, permiscent; & ad factionum, veluti morborum incrementa, conferunt, conuertuntq;. Moderari tales animos, regere sensus; attrahere, rapere recalcitrantes; conciliare infestos, cohibere tumultuantes, vim, audaciam, impetu rationis frangere: ita deniq; effingere omnia, vt cumulatè cunctorum desideria satientur; est sum-

mæ prudentiæ, summæ dexteritatis, summæ & incredibilis in dicendo facultatis. Tu in officio tam arduo ita Te gessisti circumspectum, inter illas tot negotiorum decumanas procellas, validis consilij incumbens remis, obliquabas publici boni sinus, in ventos popularis auræ, licet aduersos; vt omnes incredibilem in modum, Tuam deprædicarent æquitatem, facundiam, dexteritatem. Adiungebas quippè lenitatem eloquentiæ, prudentiam comitati, grauitatem humanitati, suauitatem maturitati: & cùm veritatem sine offensione, grauitatem morum sine supercilio, leporem orationis sine leuitate, concordiam sine simulatione, incredibili dicendi dulcedine probares, ac temperares: meritò etiam sæpiùs tanquam Maiæ nepos, cœlo delapsus, paciferas oleas protendens, discordes animos, & non benè cohærentes sibi ciuiles mentes, vultu simul, ac auditu venerabilis, mitigabas. Feliciori in publicum successu, quàm Cæsaris Fasciâ Tuâ: illa enim communem patriæ gemitum exciuit; Tuam nunquam suspexit Polonia, sine singulari suâ voluptate.

His tantis, tamq; præstantibus actionibus Tuis, nimiùm quàm spectatis & commendatis, quibus quasi structis gradibus, ad vnam eamq; immortalem, veri decoris laudem procedebas, maiora in patriâ longè debebantur, & ampliora præmia, ne sola illis esset ex conscientia merces. Oportuit etiam tam sublimem animum, & admirabilem honestatis cupiditatem, tot decorum capacem, non profanis tantùm patriæ curis exerceri; sed sanctioribus etiam Ecclesiasticis negotijs admoueri, ne quid eius amplitudini deesse videretur. Egit hoc perlibenter Serenissimus Rex Noster IOANNES III. feliciter nobis imperans, cuius vtinam vitæ prospera, quàm longissimè porrigantur, vt diu sub tanto Capite Respublica incredibili commodorum vbertate frui, totq; lacerata malis, confirmari erigiq; possit. Hic inquam Optimus Principum, lynceis mentis oculis merita, & naturæ eximium, atq; præstantem habitum, non dissimulanter perspiciens Tuum: altâq; meditatione perpendens, illam Tuam prudentiam, illum boni publici amorem, illud continuum Principibus suis, quasi debitum gratificandi studium, affectum suum, beneuolentiâ explicauit, Tibiq; Regni Vicecancellariatum, tanquam nouam gloriæ possessionem attribuit; simulque Lituo & Tiarâ Episcopatûs Culmensis decorauit. O verè præclarissimum Tanti Regis de Tua singulari Virtute iudicium! & mille linguis, milleq; præconijs in omne æuum transmittendum! Olim

Timo-

Timoleonti Corinthio, cùm is in Siciliam ad crudelem Tyrannum suâ Sede pellendum perrecturus, Apollini Delphico, sacra faceret, votaq; nuncuparet, è donis suspensis Fascia in caput decidens, coronæ illud, aut diadematis ritu, ita circumcinxit, itaq; corollis suis intexuit, vt prorsus à Deo coronari videretur. An non fortunatior Fascia Tua, quæ Tibi Serenissimi quidem Regis benignitate; sed diuinæ tamen gratiæ liberali dispensatione, eo tempore cessit in coronam; cùm ad vtramq;, altiùs prouectus es dignitatem, & in duplici Ecclesiæ, & Reipublicæ speculâ constitutus, è quâ Tuarum Virtutum fulgore, ampliùs copiosiùsq; vtramq; illustrares. Quantum porrò istud est, quantisq; in laudibus ponendum, ad supremos in Ecclesiâ & Republicâ honores ita peruenire, vt non alijs vtaris suffragatoribus, quàm laboribus tuis, meritis tuis. Magnum illud profectò est, ab inclyti generis stirpe, ad hominum commendationem profluxisse! maius in lucem statim felicem venire, & auitæ Maiorum dignitati, rerum præclarè gestarum gloriâ, inusitatum splendorem infundere: at longè maximum, non populari aurâ circumferri, non domesticarum venditare fulgorem imaginum; sed sapientissimi Regis studium, fauorē, perspectissimam emereri beneuolentiam, & in culmina honorum, gloriosè euasisse. Itaq; nulla pluuia, tàm maturo tempore, sitientem terram irrigat: nulla lux, hærenti, & spissis circumfuso tenebris viatori, tàm grata exoritur: nulla aqua, præ siti morientibus, tàm opportuna ex asperis erumpit rupibus: nulla tranquillitas, tàm tempestiua, inter spumantes vndarum moles, & fluctus decumanos, tàm iucunda trepidos recreat nautas: nulla salus post diuturnos, & desperatos morbos, tàm dulcis, tàm amabilis, ægro torpenti redit; vt Tu eo tempore cunctorum erexisti animos, tantâ dignitatis accessione: & optatis solatijs mœrentium formidinem, pauoremq; detersisti. Præsulatûs Tui denunciatio prima, maximam in cunctorum animis diffuderat lucem, & multiformes lætantium reddidit status. Clamores insolitos profundebat, in Nobilitate, laudandi effusa libertas. Tripudiabat præ nimiâ hilaritate, dicati Deo Cleri promptitudo. Illa gaudiorum impatientia, illa exultatio corporum, nescientibus propè hominibus alijs excitabatur. Vbi verò Te iam in suis conspexerunt, consalutaruntq; sedibus, vni Tibi, quasi benigno cuidam, auspicatoq; Sideri, oculos, vultusq; aduerterunt. Te vnum, votis omnibus, festoq; apprecationum clamore dedicabant: Vnus eras, à quo &

omnia, omnes præſtolarentur bona, & ſoli, comprecarentur vniuerſa. Et ſanè quàm maximo fauore illi, ſuam, apud animum Tuum, magna omnia parantem, beneuolentiam occupârunt. Cumulatiſſimâ enim, votis eorum reſpondiſti redhibitione: cùm omnibus Te, æquo paterni amoris iure deuinctum ſentires: iiſdemq; præſentis Tui copiam, ac felicitatem, terminis definiuiſti, quibus latiſſimè procurrens, Epiſcopatûs Tui Diœceſis claudebatur. Nihil deſpexiſti arduum, neglexiſti longinquum, deſeruiſti inacceſſum. Flectendi erant, ad ouile CHRISTI, diſſidentes incolæ, cuſtodiendæ à crudeli luporum laniatione oues Domini; has Tu ſummâ vigilantiâ, ſummâ pietate cuſtodiuiſti: illos partim conſilijs optimis, partim probatiſſimis vitæ exemplis flexiſti, & à temeritate, ad vitæ probitatem, à fœdiſſimis erroribus, ad veræ religionis non fallens iter deduxiſti. Multorum audaciam, auctoritate compreſſiſti, multorum tumorem benignitate, fucum candore, vecordiam veritate ſuperaſti. Idq; cùm non Rhadamantheo rigidus ſupercilio, Tibi ſubiectis impenderes; ſed placidos, ſummâq; benignitate ſerenatos, quâquauerſus diffunderes aſpectus: nec tàm omnes poteſtati Tuæ adſtrictos; quàm potiùs fidei, beneuolentiæq; Tuæ adoptatos, in CHRISTO filios inſpectares. Beatiſſimum ſe prædicabat, Clerus illius Diœceſis, tali Paſtore, in quo cùm vis abeſſet, & nimia ſeueritas: incredibilis tamen comitas, prudentia, facilitas, cunctos ad ſolidum virtutis exercitium permouebat, alliciebat, pertrahebat.

Hæc Te in Epiſcopatûs arduo munere, examuſſim omnia, ad publicum commodum facientem, præſtantemq; ; & celerrimis paſſibus, ad maiora virtutum decora progredientem; etiam non minùs Vicecancellarij ſublime munus, vaſtis primiſq; Regni curis, diſtinebat. Eſt verò hoc tàm implexum, tantùm laboris, tantùmq; ſudoris requirens, tantùm operis exigens officium; quantùm fortaſſis nullus in Polonia honor, nulla dignitas requirit, exigitq;. Magna hîc in rebus feliciter gerendis dexteritas expetitur; deſideratur nota & perſpecta prudentia; incorrupta vllis bonorum illecebris mens poſtulatur; ſolers cura, fides, diligentia, quaſi perpetuæ huius honoris comites depoſcuntur. Nam ſi mente, vt omnia imperia, ſic noſtrum florentiſſimum anteà, nunc heu nimis attonſum & minutum, libratur, regiturq; ? Mentem Principum, grauiſſimo eloquio enunciant, & inſtruunt prudentiam Cancellarij. Si fata, fortunaſq;, ſibi ſubditis populis, largâ manu, diſpenſant Principes? diſpenſant

per

per Cancellarios. Si ſanciendis cum vicinâ hoſtilitate fœderibus, communem ſtatum munire, firmareq; volunt? fœderum adminiſtri ſunt Cancellarij. Si omnes dominationes, habent ſua arcana peculiaria, quibus innituntur? hæc vix alibi deponuntur, quàm apud Cancellarios. Si omnium imperiorum Regina, cuſtosq; certiſſima, & conſeruatrix eſt iuſtitia? interpretes eius, Antiſtites ſunt Cancellarij. Si condendæ ſalutares præſentibus rebus leges, nouis præmiorum, honorumq; inſignibus exornandi boni? exigendæ ab improbis & conſceleratis hominibus pœnæ; pro rerum & naturarum inclinatione, diuerſi, diuerſorum animi, variè, nec vnâ ratione tractandi? non aliorum eſt iſtud quaſi debitum munus, quàm Cancellariorum. Quid multa? promptuaria boni publici, Atlantes negotiorum, afflictæ Virtutis perfugia, aræ hominum indigentium, corda, oculi, ora Principum, ſunt Cancellarij. Iſtis Antipatris peruigilantibus, ſecurè, quietè, dulci ſopiuntur, noſtri Alexandri. Iſtis ſalutem communem, ſtatumq; procurantibus, nullasq; pro alienâ incolumitate conſeruandâ, amplificandâq; fugientibus dimicationes, oppreſſi potentiorum iniuriâ releuantur; legum integritas, intacta inuiolataq; manet; ſuum à quouis officium, ſua dignitas, abſq; onere ſuſtinetur. Iſtis ad humana commoda ſedulò intentis, admiranda omnium actionum præcellentia, ad publici decoris venuſtatem effloreſcit. Nulla æquitatem peruertit improbitas; nulla conſilium vincit temeritas; nullus rationem deijcit furor; nulla fidem, pudicitiam, ſanctimoniam, perfidia, impudentia, impietas ſuperat, profligat, & peſſundat. Quantis ergo oportet inſtructum eſſe præſidijs? quàm excelſo, generoſo, heroico ſpiritu? quàm igneâ, exporrectâ, intrepidâ indole? quàm capaci magnarum rerum pectore? quàm indefeſsâ cœleſtium orbium curſûs imitatâ agendi facilitate? quâ fide, candore, boni publici amore, maſculo libertatis vſu, timoris ignarâ, fraudum experte fide, conſtantiâ, tolerantiâ; præterea modeſtiâ, humanitate, in omnes incredibili quâdam, & paternâ viſcerum profuſione; cæteris ſummis & abſolutiſſimis, ſiue naturæ, ſiue prudentiæ dotibus, & quis eſt, qui non perſpiciat manifeſtè? Superaſti vel ſaltim adæquaſti hæc, & alia, tantæ dignitati debita præſidia; animiq; altiùs ſupra humana aſſurgentis heroico vigore, talem Te in eo munere oſtendiſti, qualem Te ſibi, pridem ſuis in cogitationibus effingebant. Habuit in Te Sereniſſimus Rex, ingenuum & prudens pectus, in quod curas

ſuas effunderet, cuius peritiæ tutò arcana committeret, cui difficillima negotia, ex vſu & dignitate publica tractanda concrederet, in quem onera ſua grauiſſima reclinaret. Habuerunt ſiue proſpera, ſiue aduerſa Regni noſtri momenta, ſucceſſusq́;, prudentiſſima conſilia, quibus in omnem Regni vſum inſtructiſſimus, præſentia acriter, ventura tempeſtiuè, ambigua certò, captioſa feliciter prævidebas: & tanquam prudentiſſimus medicus, non minùs fidam, quàm ſcitam manum, ægræ iſti Matri molliſſimè ſupponebas. Habuerunt afflicti contra varios caſus, quaſi portum benignitatis; tantam in ſummo culmine facilitatem, tàm iucundam ſermonis affabilitatem, tantâ comitatis non obſcurâ ſignificatione, conditam, & obuiam, acceſsûs fiduciam; vt tenerrimi affectus impetu, vltra matrem, indulgentiſſimus videreris. Quæ omnia tantò gratiora fuerunt, quantò aliorum, rarus ſermo, luctantia verba, duræ fores, contractæ frontis nubes, & vltrà conſuetudinem gentis, triſtitia, & ſenium, moleſtiùs ſentiebantur. Quid multa congero? nulla fuit laus in Republica illuſtris, cuius Tu non princeps: nullum in Eccleſia inſigne meritum, cuius Tu non auctor, aut ſocius: nullus vir magnarum rerum ſtudioſus, & appetens, cui Tu non ſimilis: nulla grauior conuentio, cui Tu non præſens. Senſerunt Te optima ingenia, & futura Eccleſiæ, Reiq́;publicæ fulcra, beatiſſimâ ſuffragatione, & pertinaci ſibi fauore patrocinantem. Expertæ indigentum neceſſitates, nouum Triptolemum; beneficentiæ ſemina longè, latèque ſpargentem. Coluerunt amicitiæ aliorum, recluſum ſibi in Te, beneuolentiæ ſacrarium, quod poſteà nulla tempora, nulli affectus obſerarent. Stupuerunt noti, ignotiq́;, nullo fortunæ augmento, tumeſcentem moderationem. Curæ, ſolicitudinesq́; ambigentium, ſæpiùs ad Tuum pectus, velut ad certiſſimum oraculum confugerunt, à quo vtiliſſima ſibi reſponſa depromebant. Viderunt cuncti ſuauiſſimos mores, ad omnem humanitatem mitigatos, neq́; vllius humilitatem deſpicienti morâ vexatam; verbo dicam, tota vita, omnium Virtutum facibus, quaſi ſplendidiſſimum aliquod delubrum, præfulgebat. Illimis ſcilicet, & niueus Faſciæ Tuæ candor, cùm omnibus niteret decoribus, vel minimas maculas, næuosque, non modò liberioris, & in licentiam pronioris vitæ; ſed etiam ceſſantis à publicis functionibus quietis reſpuebat. Pergerem diutiùs, indulgere Orationi, per eximia Virtutum Tuarum ornamenta, diffluere geſtienti, niſi me iam ſupremus iſte, in Republica honor, Epiſco-

Episcopatûs Cracouienſis, vnus nobis inſtar omnium ſuffecturus, ad ſe raperet; cæteraq; omnia relinquere hortaretur. Namq; ſi tanta ſunt Tua decora, quæ Tibi ad ampliſſimos in Republica honores, viam aperuerunt. Si Tuas præclariſſimas Virtutes, quibus mirificè ſplendeſcebas, omnia loca quæ triuiſti, dignitates quas geſſiſti, negotia quæ perfeciſti loquentur; Tuumq; tam ſpectatum exemplum, tenaci ſæculorum memoriæ traditum, in ipſa aſtra, ſublimè pennata fama feret: ſi vniuerſa Faſtorum memoria, & læta poſteritatis gratitudo, nunquam in Tuis celebrandis, ſuſceptis pro Republicâ, non intermiſſis laboribus, obmuteſcet: ſi Tuarum actionum ſimulacra, felici ſui contemplatione, omnes præſentes, futuroſq; annos, gloriæ Tuæ vectigales reddent: quanta debet eſſe noſtra lætitia? quibus nos gaudijs incedere par eſt? quàm exundāti hilaritati, mentes, animoſq; laxare decet? in Faſciâ Tuâ abundè recepturis, quidquid à nobis in alijs inuidiâ fatorum eſt amiſſum. Cernere mihi iam videor, fugere à conſpectu Tuo, depreſſo collo, ſubiectis ceruicibus, ſubacto vultu, trepidam hæreſim & pauentem. Video corruptos, contaminatoſq; mores, quâ datâ porta, ante auditam ſententiam, in exilium properare. Video agmina vitiorum, vno ſimul loro deuincta, expelli flagello virtutum. Video tractum ſonanti compede liuorem ringi, fremere audaciam ſine telo, iacere arrogantiam ſine ſupercilio, mordere inuidiam ſine dente, bacchari impietatem ſine voce, mœſtam ſine viribus improbitatem, agmen claudere. Timete, timete flagitia vbi vbi eſtis? plenum animi, plenum prudentiæ, plenum inflammatæ charitatis habemus Antiſtitem. Qui Plauſus intereà! quæ vota virtutum! hinc iuſtitia; illinc fortitudo: hinc temperantia; illinc prudentia, ex magnifico placidoq; fulgent. Præter has frugalitas, continentia, tolerantia, liberalitas, comitaſq; ſplendorem ſuum affundunt; tùm prouidentia, tùm elegantia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantùm DEVS bone ponderis, grauitatiſque, addunt. Prodeunt omnes, proferuntq; ſe in conſpectum, iſtâ vultûs benignitate, iſtâ animi magnitudine, iſtâ oculorum ſerenitate euocatæ. Pantarbam gemmam ſigillarem, in flumen coniectam, ſeptuaginta ſeptem gemmas, & lapides pretioſos, ſimiliter in flumen coniectos, ſibi mutuò connexos traxiſſe; quaſi vim, primo, ad trahendum ſecundum transfudiſſet, ſecundo ad tertium; narrat Græciæ non infimus Scriptor. Efficacior nobis Tua Faſcia erit, quæ nobis omnia

 hone-

honeſtatis coronamenta, quaſi aureâ deuinctâ catenâ, Tecum ducit. Ingredere feliciſſimè hâc inſignis & præfulgens tiarâ: hanc quæ cum magnâ, & incredibili animi Tui voluptate, propè ſuis conuulſa ſedibus, venientem excipit Regni Metropolim. Illuceſce nouum Sydus Arctois gentibus, hoſpitalemq; aduentûs Tui gratiam, rediturae felicitatis prænuntiam, nobis omnibus impertire. Sacra Tua præſentia, grandi proſperorũ imagine, ſpes noſtras reficit, quod nobis futura ſit pro igne nautico, pro iride, pro Alcionum nidulo, quæ mari tranquillitatem, cœlo ſerenitatem præmonſtrant. Abibit tandem, & recedet effrons ferocientis ſortis malignitas, quæ nobis nuper lapſis annis, tot pericula, tot ruinas, tot funera denſa ſtruxit. Aſpice hanc nobiliſſimam Diœceſis Tuæ portionem, ſacratum Deo Clerum, vt velut examina apum, circa ſuum Regem, circa Te glomerantur, vt illorum ſinguli Te præire, Tuo lateri adhærere, Te comitari, maximæ ſibi laudi ducunt; vt vocibus, vultibus, & gratâ admurmuratione, in Tua conſentiunt encomia, Talemq; ſibi cœlitùs Antiſtitem, difficillimis temporibus oblatum, in impatienti hilaritate, ſatis intelligere nequeunt, niſi attoniti. Refer oculos, ad lætiſſimum omnium ordinum, ætatum, hominum confluxum; vt bonis ominibus proſequuntur aduentantem, vt per ardentes preces, ſupplicationesq;, clementiam Diuinam ſollicitant, ne has proſperrimas ſucceſſuum Tuorum vices, breuior ætas interuertat; ſed potiùs prolixa multiplicet, & eorum magnitudini, accedat diuturnitas. Intuere etiam infimæ plebis, ingentem turbam, quam expectatus, & iſtis deſideratus, in Vrbem venis. Vt oculos inuſitato ſpectaculo imples. Te paruuli noſcere cupiunt, oſtentant iuuenes, mirantur ſenes, ægri quoque ad conſpectum Tuum, neglecto medentium imperio, quaſi ad ſalutem, ſanitatemq; ſuam prorepunt. Opplentur viæ alacri hinc & inde populo, vbique par gaudium, parq; clamor, fauſta Tibi omnia promittentium. Omnium quippe animi, non falſi vates, certâ præſentiunt coniecturâ, præſagiunt anticipatione, Te fore formam iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, Cleri ordinatorem, Paſtorem plebis, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, viduarum vindicem, cœcorum oculum, baculum ſenum, malorum metum, gloriam bonorum, virgam potentium, Patriæ lumen, omnibus omnia: vt melliflui Doctoris vſurpem verba. Facies ILLVSTRISSIME DOMINE, nec patieris cunctos deuio

nio errore duci. Quidquid prauum erit, corriges; quidquid aſperum, lenies; quidquid durum, mollies; quidquid diſtortum, emendabis; quidquid mœſtum, recreabis; quidquid languidum, ſanabis; quidquid imperfectum, perficies; neque patieris vnquam Te Paſtore, Te Principe, Te Præſide; vel conſilia bona traduci, vel res optimas, corruptis moribus deprauari. Intereà, cùm omnes alios, ad Tui Ingreſsûs feſtiuitatem celebrandam prouocas, nos quoque, qui hoc primum in Septemtrione, & vnicum virtutis, literarumq; incolimus domicilium, iube optima quæq; expectare. Nullum eſt magno Heroi, & immortalitatem merituro Principi, genus beneficij dignius; quàm quod erogatur ad literas tuendas, & conſeruandas. Potentiſſimorum Regum, maximorum Principum, præcipua laus iſta fuit, Muſas, Muſarumq; cultores, à fortunæ furore, atq; inopiâ defendere, molliſſimamq; illis tranquillitatem, tutas ac beatas ſedes commodare. Vt cùm nomen ſuum, ad orbis memoriam propagaſſent immortalem: gratâ quoque literarum memoriâ, & præſtantiſſimis in earum ſalute, & integritate amplificandâ meritis, ad omnem poſteritatem illuſtrari, commendariq;, pulcherrimum ſibi iudicârint. Eorum in Te Princeps Optime, cùm perfectiſſimè omnimoda ſimilitudo tranſierit; etiam patrocinium repræſentet literarum. Suſcipe curam Tuæ Academiæ, Cancellarie Fauentiſſime: pro Tuâq; inſigni ſapientiâ, non ſolùm, ne violata integritas legum noſtrarum, detrimento afficiat Rempublicam, vide: ſed præterea, vt iudicio Tuo probata, recreata teſtimonio, ornata laude, & gratiâ Tuâ, quàm diutiſſimè floreat prouide. Aboleri non poterit tanta Virtus, vigebit & ſplendeſcet clariſſimè, nullis obruenda temporibus, non ſtatuis expreſſa, aut ſaxis inciſa vetuſtate fluentibus: non commendatione ceræ, aut vanis pigmentorum efficta fucis; ſed viuido eloquentiæ ſucco; ſed duraturis nobilium ingeniorum monumentis, cedro meliùs, atque Ægyptio bitumine, contrà omnes caſus, & voracem temporum gulam munietur. Vt cùm ſatis naturæ, ſatis Eccleſiæ, ſatis omnibus bonis, æuum, ætatemq; Tuam produxeris, & feliciter ab hac mortali concretione ſegregatus, deſertis rebus humanis, ad Superos receſſeris, è ſublimi faſtigio, in ipſo æternitatis Capitolio, poſteritati longiſſimè ſecuturæ, magis auguſtus, magis emineas glorioſus.

D I X I.

Sumptibus ex fundatione Generosi Domini Bartholomæi Nowodworski, S. Ioannis Hierosol: Equitis Meliteń. Commendatoris Posnanień. olim S.R.M. Aulici.